

procedere arbitramur, veluti auctores primæ opinionis dicebant. Sed neq; ita de motibus cælestibus sentiendum est, quoniam hac ratione non omnes motus hæcenus observati defendi possunt, ut postea constabit. Huc accedit, minime terram tanta velocitate ab occasu in ortum ferri, ceu in sequentibus probabitur. Adde quod hæc sententia assumat, motu calorum ab oriente in occidentem contrarium esse ei, qui sit ab occidente in orientem, quod falsum esse, mox explicabitur.

NONNULI autem credentes quoq;, prædictos duos motus inuicem esse contrarios, asserunt, Calos duntaxat moueri diurno motu ab oriente in occidentem; Immo hoc motu non solum orbis cælestes, verum etiam omnia elementa moueri dicunt, quem quidem motum unica efficit intelligentia, quam animam mundi appellant; Ita tamen, ut quo aliqua sphaera, animæ mundi propinquior existit, eo etiam velocius ab ea moveatur; & quo remotior, eo tardius: quem admodum in rotæ alicuius motu cernimus. Partes enim axi rotæ propinquiores, seu centro ipsius, tardius mouentur; partes vero eius circumferentia viciniores, velocius feruntur. Vnde dicunt supremum cælum velocissime omnium moueri, quoniam animæ mundi propinquissimum est; terram autem tardissime, adeo ut non percipiatur motus eius ob maximam tarditatem, quia longissimæ ab anima mundi recessit, & propterea omnibus quiescere videtur, cum tamen paulatim, & quasi insensibiliter ab oriente in occidentem rapiatur, quod hoc indicio persuadere conantur. Videmus namq;, aiunt, terram in partibus occidentalibus continue, & sensim sub mare tendere, & e contrario in partibus orientalibus magis ac magis & mari emergere, quod quidem euidenter nobis demonstrant columnæ Herculis posite in littore Oceani occidentalis, & columnæ eiusdem posite in littore Oceani orientalis. Illæ enim hac tempestate per multa miliaria intra mare reperiuntur iuxta plagas occidentales: Hæ vero e contra per totidem miliaria extra mare in partibus orientalibus conspiciuntur. Manifestum ergo signum est, terram paulatim ab oriente in occidentem ab anima illa mundi deferri. Quoniam vero præter hunc motum diurnum, planetæ moueri quoque videntur ab occidente in orientem, quod non semper sint in eadem distantia ad inuicem, neque sub eisdem semper existant stellis fixis, sed ab eis orientem versus recedant, quod tamen ipsi negant; Ideo causam esse hanc asserunt, cur aliqui cæli ab occidente in orientem ferri credantur, quamuis re ipsa ab oriente tan-